

possunt inire coniugium inter se, quoniam congregatio peregrinorum non uocatur congregatio, et non cohibentur spurii intrare in congregationem; Leuitae uero et Israelitae cum spuriiis non possunt, sed liberi ex incerto patre nati sunt fortasse spurii, et possunt se miscere cum spuriiis, et hi cum iis qui dicuntur in congregatione coniugium inire non possunt, sed cum illis qui fortasse in congregationem uenient. Quid de sententia LIGTHFOOTI, HARDVINI, MAII IUNIORIS, ADAMI TRIBBECHOVII, GERDESII et ORTELII, qui in explicatione uocis LIBERTINORVM huc uel illuc uagati sunt, iudicandum sit, hac de re conferantur o) VITRINGA, p) DEYLINGIUS, q) SELDENUS, r) et Goettingensis Theologus, D. HEVMANNUS.

De LIBERTINIS, et quale ad genus hominum hi uiri fuerint referendi, quaestiones cum STEPHANO instituentes, TACITVS, SVE-TONIVS, PHILO IVDAEVS et IOSEPHVS, Scriptores iisdem temporibus, uel breui post uitam degentes, et iisdem in regionibus, aut saltem in horum populorum uiciniis habitantes, optime accuratissimeque nobis tradere potuerunt. s) TACITI uerba insigne hac de ueritate, LIBERTINOS nempe esse IVDAEOS ROMANOS, praebent testimonium, hoc modo fluentia: *Actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis, factumque patrum consultum, ut quatuor millia LIBERTINI generis ea superstitione infecta, queis idonea aetas, in Insulam Sardiniam*

o) in Synagoga Veteri huiusque operis Lib.I. Part.I. Cap. XIV. p. 255. seqq.

p) in libro citato pag. 331. seqq.

q) de Iure naturae et gentium iuxta disciplinam Iudaeorum Libro II. Cap. V. pag. 167. seqq.

r) In der Erklärung des neuen Testaments im 5. Theile von der 256. bis zur 264. Seite.

s) Annal. Lib.II. cap. 85. §. 4.